



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

6. Universalis Ecclesiæ &c. Pro restituenda, & conservanda in Religione
Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia, Reformatorum,
Discalceatorum, Recollectorum, Tertiariorum, vel quocumque alio ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1724.

muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ Domini nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, & illis adjunctæ ex Purgatorij pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perducere valeant. Volentes igitur omnes, & singulas Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales totius Orbis Catholici Ecclesias, in quibus Altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, & in eis Altare per Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos respectivè locorum gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis à Domino tradita, ac de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandoque Sacerdos aliquis Sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, seu instituti Regularis Missam Defunctorum pro anima cujuscumque Christifidelis; quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragij Indulgentiam consequatur: Ita ut ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus à Purgatorij pœnis liberetur, concedimus, & indulgemus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xx. Julij MDCCXXIV. Pontificatus Nostri anno primo.

F. Card. Oliverius.

Indulgentiæ perpetuæ pro Orantibus ad pulsum
salutationis Angelicæ.

BENEDICTUS PP. XIII.

IV.

Ad perpetuam rei memoriam.

Injunctæ Nobis divinitus Apostolicæ servitutis ratio postulat, ut cœlestium munerum thesauros dispensationi nostræ à Domino creditos fideliter erogemus, cum id ad augendam in Terris Beatissimæ, atque Augustissimæ Cœli Reginæ Virginis Deiparæ Mariæ Patronæ, & Advocatæ nostræ venerationem, excitandamque, & conservandam erga illam fidelium devotionem, ac ad animarum salutem speramus in Domino profuturum: Itaque de Omnipotentis Dei misericordiâ, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; Omnibus, & singulis Christifidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem receptis, qui manè, aut meridiè, seu vespere ad pulsum Campanæ Angelus Domini nunciavit Maria, & concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum: Et verbum caro factum est, & habitavit in nobis cum tribus Ave Maria flexis genibus devotè recitarent, & pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo; lucifaciendam omnium, peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer

in Domino concedimus: In reliquis verò anni diebus iisdem Christifidelibus verè contritis, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in formâ Ecclesiæ consuetâ relaxamus: Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris; Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xiv. Septembris 1724. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Cardinalis Oliverius.

Pro restituenda, & conservanda in Religione Fratrum Minorum Sancti Francisci de Oblervantia, Reformatorum, Discalceatorum, Recollectedorum, Terziariorum, vel quocumque alio nomine nuncupatorum sub directione Ministri Generalis Totius Ordinis viventium antiqua Regulari Disciplina.

BENEDICTUS PP. XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Universalis Ecclesiæ Regimini, nullo licet mitorum nostrorum suffragio, inscrutabili Divinæ Providentiæ arcano præsentibus, inter multiplices, ac sanè gravissimas Pastoralis Officii Nostri sollicitudines, quibus jugiter premimur, memores sub suavi Religionis Fratrum Prædicatorum jugo à teneris usque annis Nosmetipsos Deo devovisse illam peculiari quâdam ratione curam suscipimus, per quam præfata Regularis disciplinæ observantia in Religiosis Ordinibus conservetur, atque instaretur, & ne ii, qui per emissorum in illis votorum semitam ad apicem perfectionis contendunt, à recto Institutorum suorum tramite deflectant, quæcumque felici eorum regimini, ac providæ Animarum suarum directioni impedimento esse possunt, removeve studemus, sicut omnibus maturæ considerationis trutinâ perpensis, in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Cum itaque, sicut accepimus, ac Nos ipsi, dum in minoribus constituti, commisso Nobis à fel. rec. Clemente XI. & Innocentio XIII. Rom. Pontificibus Prædecessoribus Nostri in quibusdam Ordinibus Fratrum Minorum Sancti Francisci tum de Oblervantia, tum Reformatorum nuncupatorum Provincialis Visitatoris Apostolici munereungebamur, experientia didicimus, in Ordine præfato, qui suaves, ac uberrimos in Ecclesia Dei fructus omni tempore protulit, & in dies, Eo benedictente, à quo bona cuncta procedunt, proferre non desistit, nonnulli irrepererint abusus contra primitivæ illius disciplinæ formam, ac dispositionem quarumdam Apostolicarum Constitutionum, præsertim rec. mem. Urbani PP. VIII. Prædecessoris pariter Nostri die xxIII. Junii MDCCXXXIII. xxvi. Junii MDCCXXXIX., ac primâ etiam Junii MDCCXL. respectivè editarum, quarum priore incipiente. Inter ceteras omnia privilegia personalia in eodem Ordine perpetuè abrogata fuerant, neque de cætero à quoquam concedi posse cautum erat; Alterâ verò, cujus initium est. Admonemur ad-

Præsentis
Constitutionis
Motiva.

versus

ANNO
1724.

versus illius Superiores favores extra Ordinem ipsum in concessione gratiarum, graduum, Officiorum, & dignitatum, ac remissione poenarum attendentes, nec non Fratres ejusmodi favores conquiritos emanaverat; & tertia demum, quae incipit - *Militantis Ecclesiae* - inter alia Patribus ejusdem Ordinis jus, arbitrium, ac consuetudinem superintendendi Provinciis, Conventibus, Fratrum collocacionibus, aliisque dispositionibus, quae sibi ex officio, quibus functi fuerant, remansisse, seu competere praetendebant, adempta, & abolita fuerant: ob minus accuratam autem harum Constitutionum observantiam multa, & gravia in dicto Ordine adversus Regularis observantiae nitorem incommoda oriri dignoscantur, nec non magnum relaxationi ostium pandatur, atque spiritui Paupertatis, & Humilitatis, quo Seraphicus ille Ordo potissimum innititur, plurimum detrahatur, non sine modica etiam religiosa illius Fratrum pacis, & tranquillitatis perturbatione.

Hinc est, quod Nos, qui Regularem disciplinam ubique vigere, omnemque illius relaxationis viam praeccludi summo opere exoptamus, hujusmodi malis, & incommotis de opportuno remedio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, antiquis, ac laudabilibus dicti Ordinis Statutis per Sedem Apostolicam confirmatis inhaerendo, Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura sanctione confirmantes, & expressè innovantes, quae ab eodem Urbano Praedecessore in ternis ejus Constitutionibus supradictis, & à pia mem. Clemente PP. X. Praedecessore etiam Nostris per quasdam suas in pari forma Brevis die VII. Octobris MDCLXXII. super nova eorumdem privilegiorum personalium abrogatione expeditas literas disposita, & ordinata fuere; omnia, & quaecumque Indulta, seu Privilegia personalia tam Ex-ministrorum, Ex-commissariorum seu Vice-commissariorum, Ex-procuratorum, & Ex-diffinitorum Generalium, quam Ex-ministrorum, Ex-custodum, Ex-diffinitorum Provincialium, prout etiam Ex-generalium, Praedicatorum, atque Lectorum Theologiae supra numerum, nec non apud Parentes, vel Consanguineos, aut alibi extra Claustra habitu retento degenendi, aut in uno Conventu ita determinate commorandi, ut sublata sit Superioribus facultas ad alios Conventus transferendi, & quaevis alia hinc non expressa, quibuslibet Fratribus de Observantia, Reformatis, Discalceatis, Recollectis, Tertiariis, vel quocumque alio nomine nuncupatis sub regimine, ac directione Ministri Generalis dicti Ordinis viventibus, cujuscumque dignitatis, qualitaris, & conditionis existant (Charissimorum in Christo Filiorum nostrorum Regis Romanorum in Imperatorem electi, ac aliorum Regum Theologis, Concionatoribus, & Confessariis actualibus dumtaxat exceptis) quovis titulo, praetextu, causa, & occasione, & ad cujuscumque instantiam, & supplicationem, tam à Nobis, & Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, & à quibusvis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationibus, quam etiam ab ipsius Sedis Apostolicae Nunciis, aut de Latere Legatis, ac quibuslibet Ordinis hujusmodi Superioribus haecenus quoquo modo contra, & praeter Regularia Ordinis praedicti Statuta, & Apostolicas Constitutiones concessa perpetuo revocamus, annullamus, cassamus, abrogamus, & abolemus, illaque in perpetuum revocata, cassata, abrogata, & abolita, viribusque, & effectu vacua esse, & fore, nemini que ullatenus suffragari, neque deinceps à quoquam concedi posse decernimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, & sub excommunicationis, privationisque suorum Officiorum, ac vocis activae, & pas-

sivae poenis eo ipso incurrendis, dilectis filiis Ministro, & Commissario Generalibus, ac Ministris Provincialibus, Custodibus, aliisque ejusdem Ordinis Superioribus, ut quamprimum praesentes Nostrae literae ad eorum notitiam pervenerint, omnes, & singulos Patres & Fratres Ordinis hujusmodi familia indulta, seu privilegia habentes, etiam si à Nobis, vel à Praedecessoribus praedictis de non completo, vel complendo integro tempore officiorum, ex quibus illa desumere praetendunt, dispensationem quoquomodo obtinuerint, illis eo ipso privatos, & spoliatos esse declarent, nec quemquam eis in posterum uti sinant, vel permittant.

Fratres vero, quibus per dicti Ordinis Constitutiones Conventus, in quibus degant, pro suo arbitrio deligere concessum est cum ad praescriptum Regulam, quam solemniter voverunt, *nec domum nec locum, nec aliquam rem in hoc Mun. sibi possint appropriare*, ex nunc, & decreto perpetuis futuris temporibus, omni usi in contrarium penitus sublato, à Superioribus Generalibus, vel Provincialibus de Conventibus eis magis acceptis, ea, quae decet humilitate sibi provideri postulent, Superiores autem pro singulorum meritis, & qualitate eos in Conventibus postulatis collocari procurent, sicut in Domino expedire viderint; exceptis tamen Almae Urbis nostrae Conventibus, in quibus utpote numerosa familia gravatis, nec ipsos etiam Ordinis Discretos, qui non fuerint Patres Romanae Provinciae, sive de Observantia, sive Reformatorum, vel dictae Sedis servitio addicti, volumus de Familia commorari posse, sed expletis eorum officis, ad proprias Provincias, vel ad Conventus sibi à dictis Superioribus assignandos proficisci omnino teneantur, in quibus Guardianis suis juxta Divi Francisci Institutoris mentem ita illi, eorumque Socii subesse debeant, ut extra Claustra, absque expressa eorumdem Guardianorum qualibet vice obtinenda licentia exire non possint.

Insuper ne ad gradus, officia, & dignitates per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus, & additus praebetur vagis, & otiosis Fratribus per alienas Provincias errandi, vel etiam propriae Provinciae Conventus circumeundi ob exortas à suis Superioribus facultates per conquistos extra Ordinem favores similiter in virtute sanctae obedientiae, ac sub poena privationis officiorum Nostris, ac Romanorum Pontificum successorum Nostrorum arbitrio Superioribus Generalibus ejusdem Ordinis, Provincialibus vero, & reliquis dicti Ordinis Praelatis nunc, & pro tempore existentibus arbitrio ipsorum Superiorum Generalium praecipimus, & mandamus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum, tam Ecclesiasticarum, quam Laicarum extra dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacumque saeculari dignitate, & excellentia, etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuius praefati Ordinis Religioso ullam gratiam impertiri, vel poenas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia, & administrationes ejusdem Ordinis concedere audeant; quinimo Fratres, qui contra praesentium tenorem mediis, & viis hujusmodi per conquistos favores, & suffragia extra Ordinem, aliquid sibi procuraverint, ad talia, & similia, ac etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles, & incapaces declaramus: Eos vero, qui personarum extra Ordinem favorem, vel auctoritatem interpellaverint ad extorquendas à suis Superioribus facultates vagandi, vel de uno in alium Conventum transfundi, poena carceris formalis Superiorum suorum Generalium, vel Provincialium pariter arbitrio puniendos esse statuimus; ipsisque Religiosis, & Fratribus dicti Ordinis quibuscumque sub eisdem respectivè poenis praecipimus.

ANNO
1724.

Quod nullus possit in posterum eligere sibi Conventum, nisi de licentia Superiorum. Ex Reg. S. Franc. c. 6.

FF. omnes teneantur obedire Guardianis suis, nec extra Conventum possint exire absque eorum licentia. Regula S. Franc. c. 10. & in ejus Testamento Clem. PP. VIII. de Reform. Regul. s. 2. Quod non concedatur per emendicata suffragia extra claustra officia in Ordine, gradus, & alia.

Juxta Constitutiones alias emanatas. Sa. m. Clem. PP. VIII. de Regul. Refor. 25. Jun. 1599. Pauli PP. V. Admonemur. 18. April. 1619. Urban. PP. VIII. Admonemur. 29. Jul. 1693.

ANNO
1724.

& expresse inter dicimus, ut non solum in prae-
missis omnibus favores ejusmodi minime procurare,
sed nec etiam sponte oblatos, ut ab eis minime
procuratos recipere, & similiter, nec ad hunc ef-
fectum munera aliqua praedictis Personis exhibere
praesumant.

S. 3.
Quod Patres
nullum in
posterum ha-
beant jus no-
minandi Dif-
finitores, &
Guardianos
nec titulo
convenientiae
possint Con-
ventus invi-
cem parti: &
confirmantur
Constitu-
tiones super
hac re alias
publicatae.
S. m. Clem.
PP. VIII de
Reform. Reg.
die ut supra.
urban. PP.
VIII. Militan-
tis 1. Junii
1642.

Præterea omne, & quodcumque præsumum Jus,
seu assertam consuetudinem, quæ potius abusus
dici debent, Diffinitores, vel Guardianos in ipsius
Ordinis Capitulis Provincialibus, vel Congrega-
tionibus intermediis nominandi, præsentandi,
seu proponendi, Provinciis, Conventibus, ac
Fratrum collocationibus superintendendi, quovis
titulo convenientiæ, vel directionis, seu alio qua-
litercunque nuncupato inducta & obtenta, & in-
trusa in perpetuum similiter cassamus, & abolemus,
ac cassata, & abolita esse, & ceteri debere,
cuicumque in posterum tales nominationes, præsen-
tationes, & propositiones, aliaque præmissa fa-
ciendi facultate penitus interdicta sub privationis
vocis activæ, & passivæ, necnon inhabilitatis ad
officia obtenta, & alia in futurum obtinenda ipso
facto incurrendis penis decernimus, & ordina-
mus. Declarantes propterea eos, qui Superiores,
vel Diffinitores Generales, Officiales Romanæ
Curie, Provinciarum Ministri, vel qui inter ip-
sos juxta dicti Ordinis Statuta connumerantur, qui-
que Custodes etiam, aut Diffinitores Provincia-
rum fuerint ex officiis, quibus functi sunt, nul-
lum habere, vel prætere posse Jus, arbitrium,
superintendentiam, intelligentiam, vel quocum-
que alio nomine nuncupetur, præminentiam in
Provinciis, Conventibus, Fratrum collocationibus,
aliisque dispositionibus, sed liberum omnino sit
Provincialibus, & Diffinitoribus (nullo ad præ-
dictos Patres habito respectu) tam de Conventibus
disponere, Guardianos instituire, Fratres collo-
care, aliaque exequi, prout communi Provincia-
rum bono magis convenire censuerint. Ipsi etiam
Provinciarum Ministri, Custodibus, ac Diffini-
toribus nunc, & pro tempore existentibus sub
eadem pena privationis officiorum, quæ obti-
nent eo ipso quoque incurrenda districtè inhi-
bemus, ne titulo convenientiæ, vel directionis,
seu alio quocumque nomine Conventus invicem
partiri, in eisque Guardianos nominare, propo-
nere, & præsentare audeant, cum intentionis
nostræ sit, omnes, & quascumque ejusmodi
Conventuum distributiones, Guardianorum no-
minationes, & præsentationes penitus tollere, &
abrogare.

Quod in Ca-
pitulis, &
Congreg.
Provinc. præ-
sents Consti-
tut. legatur,
& Vocales
les juramen-
tum præ-
sent. &c.

Præcipientes omnibus, & singulis Fratribus dic-
ti Ordinis suffragium, & vocem activam habenti-
bus in Capitulis, & Congregationibus Provin-
cialibus, ut priusquam ad electiones deveniant,
has præsentem literas legi faciant, omnesque, &
singuli observare jurent, quo scilicet depositis pri-
vatis studiis, & affectionibus, nullaque dictorum
Patrum habita ratione, eos tantum in Provincia-
les, Custodes, Diffinitores, & Guardianos liberè
eligere, & approbare valeant, qui juxta Aposto-
licas, & dicti Ordinis Constitutiones eligi de-
bent, quosque prævia meritorum qualificatione
digniores, ac ipsi Provinciis, & Conventibus re-
gendis utiliores, & ad id magis idoneos diju-
dicaverint.

Familia Con-
ventuum a so-
lo Diffinito-
rio deputentur
juxta
Constitut. su-
pro citatas.

In deputatione autem familiarum, seu desti-
natione Conventuum in Capitulis, & Congrega-
tionibus Provincialibus hujusmodi facienda, ut
juxta Conventuum exigentiam, & personarum
merita Religiosi opportunè collocentur præcipi-
mus, & mandamus sub vocis activæ privatione,
aliisque arbitrio Superiorum Generalium infligen-
dis penis, ut in iisdem Capitulis, & Congrega-
tionibus Familiae Fratrum ab integro Diffinito-
rio deputentur, & Conventus destinentur, Fratres

verò sub pena etiam carceris formalis arbitrio
Ministri Provincialis ad Conventus sibi assignatos
se conferre, ibique commorari teneantur, nisi legiti-
mam excusentur causam ab ipso Diffinitorio appro-
bandam, & Guardiani aliquem sine causa respuen-
tes, privationis sui officii penam incurrant, at si
causa subit illam rejiciendi, eam Superioribus
Provincialibus deferre debeant, quæ si legitima,
& rationabilis eorum judicio probabitur, tunc Re-
ligiosum sic rejectum ad alium Conventum mitte-
re valeant.

Quia tamen in Provinciarum regimine nec
abusus tolli, sed potius augeri, nec omnimodam
libertatem in electionibus, & deputationibus fami-
liarum hujusmodi, prout par esset, pluribus
ab hinc annis obtineri posse non uno experimen-
to compertum habemus, eò quod Superiores of-
ficio functi, ac ferè semper iidem Provinciarum
Patres Diffinitoria ingrediantur, ibique locum,
& votum habeant, perniciosi hujusmodi malis
occurrere cupientes, utque Provinciarum gub-
ernia juxta ipsius Ordinis Constitutiones sin-
gulis triennis ex integro immutentur, & nul-
latenus perpetua reddantur, providere volentes,
cum aliquando contingat, Suffragia perpetua Pa-
trum, quos Habituales vocant vocis Diffinitorum
actualium aequalia esse, immò illa excedere
in grave ipsarum Provinciarum præjudicium,
quandoquidem ipsis dumtaxat Diffinitoribus Jus
sit in Capitulis hujusmodi pro earundem Pro-
vinciarum majori bono, & felici gubernio Reli-
giosos ad officia eligere, ac proinde in hac par-
te literis sanctæ mem. Pii V., Clementis VIII.,
& Gregorii XV. Romanorum Prædecessorum ite-
dem Nostrorum hac super re emanatis insistentes
omnia, & quæcumque perpetua suffragia tam de
Jure, quam de consuetudine, quoquomodo in
Capitulis, Congregationibus, vel Diffinitoriis par-
ticularibus Provinciarum, & Custodiis, tam de
Observantia, quam Reformatorem, Disalceatorum,
Recollektorum, Tertiariorum, vel alio no-
mine nuncupatorum, quibusvis Fratris habenti-
bus quomodolibet competentia, motu, scientia,
ac de potestatis plenitudine paribus harum serie
etiam perpetuo revocamus, annullamus, & abro-
gamus, nulliusque roboris, & momenti deinceps
fore, & esse declaramus.

Volentes proinde in Capitulis Provincialibus
hujusmodi Guardianos, Diffinitores, Custodes, &
Provinciales Ministros, ac Præsidentes Capitulares
vocem activam pro novo Diffinitorio eligendo,
ipsosque Ministros Provinciales tunc officio func-
tos votum etiam consultivum, & decisivum in om-
nibus actibus Capitalibus una cum novo Diffi-
nitorio, & Præsidente in futurum dumtaxat habe-
re, in reliquis verò Diffinitoriis particularibus, &
Congregationibus intermediis solos Provinciales
Ministros, Custodes, & Diffinitores hujusmodi voce
consultivam, & decisivam uti, & frui debere. Cum-
que eadem prorsus sit ratio de Capitulis, & Con-
gregationibus generalibus, & ne etiam ob hanc
Suffragiorum perpetuitatem aliqui ex dictis Reli-
giosis Sanctæ, & Seraphicæ humilitatis obli-
tati, spiritu Superbiæ insentent, vel diuturnitate gu-
bernandi allecti subesse dediscant, & alii eorum
exemplo simili cupiditate accendantur, prius-
quam hujusmodi scandala in Ordinis, & anima-
rum detrimentum invehantur, id ipsum quod de
Capitulis, & Congregationibus Provincialibus
disposuimus, ut præfertur, ad Congregationes
etiam, & Capitula Generalia dicti Ordinis exten-
dimus. Inhibentes propterea omnibus, & sin-
gulis prædicti Ordinis Patribus, ne in Capitu-
lis, & Congregationibus Generalibus præfatis
quisquam eorum in posterum cujuscumque habi-
tualitatis, etiam Generalatus prætextu suffragium

ANNO
1724.

S. 4.
Revocatur
suffragia per-
petua in Ca-
pitulis, &
Congreg.
Provinciali-
bus, secun-
dum alias e-
ditas Consti-
tutiones Rec.
m. S. Pii PP.
V. Pastoralis
28. Maii 1571.
Clem. PP.
VIII. 28.
Seraphicum
Ordinem
10. April. 1600.
Gregor. PP.
XV. Militan-
tis — 22. Fe-
bruarii 1621.

Idem sta-
tuitur in Ca-
pitulis, &
Congreg.
Generalit.
pari ratione,
& ad formam
Constitutio-
num supra
relat.

ANNO
1729.

ferre possit pro Superioribus Generalibus, vel Diffinitoriis noviter eligendis, sed illi tantum: inibi votum habeant, qui juxta Ordinis Constitutiones de Corpore Diffinitorii Generalis fuerint, ita tamen, ut ipsi Superiores Generales officio functi in illis Capitulis, & Congregationibus, in quibus eorum munus expleri, seu cessare contigerit, votum consultivum, & decisivum in omnibus actibus Capitularibus obtineant, quibus absolutis solum Minister, & Commissarius Generales noviter electi cum eorum Officialibus Curiae, & Diffinitoribus univrsi Ordinem, vel Familiam respectivè, seclusis quibuscumque Ordinis Discretis valeant, & debeant moderari; ita quod Superiores Generales hujusmodi in arduis, vel Familiae negotiis aliquos ex Discretis, & Patribus praefatis, quos maluerint, consulere, & etiam ad ordinarios Congressus, si id commode fieri poterit, vocare debeant, prout Religionis bono conducere existimaverint.

Quomodo
in posterum
ferri debeant
substitutio-
nes, & sub-
rogationes
Patrum.

Porro quod attinet ad substitutionem Patrum in Capitulis, & Congregationibus, sive particularibus Diffinitoriis, aut Congressibus tam Generalibus, quam Provincialibus, ea omnia servari debere mandamus, quae alias per Statuta dicti Ordinis praescripta reperiuntur, ita ut secundum uniuscujusque gradum, & dignitatem primò Ordinis, & Familiae Discreti, deinde Ex-officiales Romanae Curiae, ac Ex-diffinitores Generales postea Ex-ministri, & Provinciae Patres respectivè juxta eorumdem Statutorum dispositionem substituantur, & subrogentur; Volentes tamen, quod Provinciarum Ministri officio functi, & qui inter eos ad praescriptum Constitutionum Ordinis praefati connumerari solent, sive sint Ex-guardiani Hierusalem, Ex-secretarii, aut Ex-commissarii Generales in partibus Indiarum, vel Lectores jubilati de numero, ac alii hujusmodi inter se ita aequalem omnino Ordinem de cetero perpetuis futuris temporibus servent quoad substitutiones hujusmodi, ut illi primo loco subrogentur, qui prius inter Provinciarum Patres, seu Ex-ministros locum fuerint adepti, quamvis exinde ipsos Provinciarum Ministros, qui revera officio functi sunt, post alios non antea Ministros contingat suffragari, cum mentis, & intentionis Nostrae sit, ut hoc substituendi, & suffragandi Jus non in aliquot tantum, sed in omnibus Patribus, quibus illud competit suum fortitatur effectum.

Commuta-
tur in priva-
tionem offi-
ciorum, poe-
na excom-
municationis
inflicta in li-
teris Urbani
PP-VIII.

Quoniam verò in supradictis Urbani Praedecessoris Constitutionibus, non minus contra Fratres favores extra Ordinem praefatam attendentes, vel conquirentes, quam super abolitione praetenti Juris, consuetudinis, vel arbitrii Patrum ejusdem Ordinis, qui officiis functi fuerant, editis, poena excommunicationis adversus transgressores ipso facto incurrenda infligitur, ne ex hoc Religiosorum dicti Ordinis conscientiae scrupuli ingerantur, ac laquei struantur in gravem Animarum suarum perniciem; eisdem Constitutionibus, firmà remanente in reliquis earum dispositione, in hac parte tantum derogantes, poenam excommunicationis hujusmodi in illam privationis officiorum, ut praefertur, quae tamen non nisi à Nobis, & Romanis Pontificibus Successoribus Nostris relaxari valeat, commutamus.

Clausula-
rum praer-
vativarum
adjunctio.

Decernentes easdem praesentes literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod Superiores, & Fratres Ordinis praefati, alii quilibet cujuscumque status, gradus, ordinis praeminentiae, vel dignitatis existant, seu alias specificae, & individua mentione, & expressione digni in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non conferant,

seu ad ea vocati, citati, & auditi, causaeque, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, & justificatae non fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, legitima, & privilegiata causa, colore, praetextu, vel capite etiam in corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, & substantiali, ac incogitato, & inexcogitabili, individuumque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, modificari, redargui, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, neque eadem praesentes literas, & in eis contenta hujusmodi sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam à Nobis, ac Successoribus praefatis pro tempore quomodolibet faciendis comprehendendi, nisi de ipsis literis, earumque dispositione fiat mentio specialis, sed ab illis semper excepta, & perpetuo valida, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia inviolabiliter, & inconcuse observari, & adimpleri; sicque, & non aliter in praemissis censeari, atque ita per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & dictae Sedis Nuncios, aliove quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicandi, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit Nostrae & Cancellariae Apostolicae Regulae de jure quaesito non tollendo, & fel. rec. Gregorii XIII. ac ejusdem Urbani VIII. & Alexandri VII. Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, per quas suffragia perpetua in Capitulis, & Congregationibus Provincialibus, & generalibus Patribus Ordinis, & Provinciarum concessa fuerant, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dicti Ordinis, ejusque Congregationum, Reformationum, Provinciarum, & Conventuum quorumcumque, aliisque quibuslibet etiam juramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Usibus, Styli, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis eidem Ordini, ejusque Superioribus, Fratribus, & Personis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, etiam pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad

ANNO
1724.

Contrari-
rum ampla
derogatio.

verbum,

ANNO
1724.

verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formam in illis traditam observatam exprimerentur, & infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut Superiores in omnibus Provincialibus Capitulis de hujusmodi Constitutionis observantia diligentè inquirent

Volumus autem, ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem seu desuetudinem abeant; ut Superiores Generales, vel eorum Commissarii in Provincialium visitatione sub iisdem privationis officij, vocisque activæ ipso facto incurrendis pœnis, quæ non nisi à Nobis, vel Romanis Pontificibus Successoribus Nostri similiter relaxari valeant, de contentorum in hac nostra sanctione observantia diligentè inquirent, ac transgressores in vocis activæ, & passivæ privationis pœnam incidisse, & ad officia Ordinis inhabiles eo ipso declarent; utque eorumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus ex Secretariis Ministri Generalis, aut Notarii publici subscriptis, & Sigillo Officij ejusdem Ministri, aut Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, vel alterius Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel offensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xvi. Novembris MDCCXXIV. Pontificatus Nostri Anno Primo.

F. Card. Oliverius.

Loco † Annuli Piscatoris.

VII.

Literæ Apostolicæ quibus per totam Italiam, & Insulas adjacentes Providendis de Beneficiis Ecclesiasticis non affectis, aut reservatis S. Sedis demandatur solutio mediæ annatæ favore fabricæ Metropolitanarum, & Cathedralium, ac Collegiarum Ecclesiarum.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Pius, & misericors Dominus, qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiam recordatur, Templâ dominicâ construi, & divinis precibus consecrari voluit, & præcipit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis per oblationes, & pacificas hostias devotæ orationis, iram Judicis mitiget, ipsius Clementiam humiliter postulando. Ne igitur domos Dei, quas decet sanctitudo, & quarum decorem summo perè diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum injuriam collabi, in pejus ruere, minusque decenter retineri contingat, Sacri Canones modis omnibus providere non omiserunt.

Veruntamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hæcenus constituta haud sufficienti præsidio fore, ut sacrarum legum vota adimpleantur, quamobrem cum ad universalis Ecclesiæ Pastorem pertineat vigili cura in re tam sancta, in qua nulla sollicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, præsertim ubi de reparandis, si sive debito modo conservandis Ecclesiis Cathedralibus agitur, & Collegiatis, in quibus fidelis Populus frequentius ad orandum convenire solet, de consilio nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardina-

lium, & aliquot insuper dilectorum filiorum Romanæ Curie Prælatorum, quos ad id specialiter deputavimus consilio, ac etiam Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, præcipimus, & mandamus per totam Italiam, & Insulas adjacentes, ut in posterum provisi de Parochialibus unâ cum incertis annuum redditum scutorum centum monetæ Romanæ excedentibus; & de Canonicatibus, & Beneficiis, tam residentialibus, quàm non residentialibus, & simplicibus sitis extra Ecclesias Collegiatis cujuscumque valoris existant teneantur solvere, & respectivè deponere mediæ annatam pro Fabrica Ecclesiæ Cathedralis; Provisi verò de Parochialibus unâ cum incertis annuum redditum scutorum centum monetæ præfatæ excedentibus; & de Canonicatibus, & Beneficiis tam residentialibus, quàm non residentialibus, & simplicibus sitis in Ecclesiis Collegiatis, vel ad illas translatis cujuscumque valoris existant itidem teneantur solvere, & respectivè deponere mediæ annatam pro fabrica Ecclesiæ Collegiatis, si sive Beneficia prædicta liberæ collationis, si sive Jurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, & ad quemcumque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat, si sive nimirum ad Metropolitanam, vel Ordinarium, si sive ad Capitulum, si sive ad alium quemcumque Inferiorem, dummodo collationis, institutionis, & provisionis S. Sedis minimè existant, aut etiam legitima non viget consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex mensium, aut similem non tamen minorem ratam favore Fabricæ, vel Sacrifiæ, utroque enim in casu pro Fabrica prædicta nihil solvendum, aut deponendum erit.

Ut autem præmissa, quæ ad consulendum debito Metropolitanarum, & Cathedralium, ac Collegiarum Ecclesiarum decori disposita dignoscuntur, suum sortiantur effectum, præcipimus, & mandamus, quod mediæ annatæ hujusmodi deponantur penes personam idoneam ab Episcopis cum scientia, & consensu Capitulorum deputandam, & successivè ab eisdem deficiente necessitate occurrenti reparationi Ecclesiæ investiantur, & collocentur in stabilibus, & fundis, seu Capitalibus tutis, securis, atque fructiferis, ac ubi fieri poterit in locis montium Cameralibus non vacabilibus, pro dote Fabricæ singularum Ecclesiarum prædictarum, ac ejusmodi dotium annuus proventus non in alium usum, quàm reparationis, conservationis & mantentionis Fabricæ earundem Ecclesiarum, ab uniuscujusque Præsulibus, cum scientia pariter, & consensu suorum Capitulorum in occurrentibus casibus erogetur, & quotiescumque dictas Ecclesias reparatione non indigere confiterit, annui etiam fructus & fructuum fructus Dotium prædictarum in aliis stabilibus fundis & Capitalibus tutis, atque fructiferis, ac respectivè in aliis locis montium eodem prorsus modo re investiantur, & collocentur, ad hoc, ut ipsæmet Dotes majora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum redditus supportando reparationis Fabricæ ipsarum Ecclesiarum oneri satis esse possint.

Cæterum super præmissis omnibus, ac præsertim super iis, quæ rectam, & fidem præfatarum dotium administrationem respicient, eorumdem Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prælatorum inferiorum, atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter, & distinctè oneramus; Ac insuper quoties Archiepiscopi, Episcopi vel Ordinarii Inferiores, ac respectivè Capitula in aliquo ex his defecerint, itaut vel ratione minus fidelis, idoneique depositarii, aut ex causa non facti, vel minus tuti, & exindè deperditii investmenti, aut demùm propter erogata Capitalia, vel fructus in alios usus, aliquid præjudicium emerferit Patrimoniis Fabricæ ipsi Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii

Inferiores.